§. 20. Quas inde ab anno 1750 per integrum quadriennium inſtitui obſervationes meteorologicas non eum in finem factae ſunt, ut aliquando publicae exponerentur luci. Unde, quod jam initio dixi, ſemel tantum ſingulis diebus rariſſime bis eas annotavi, neque id ſtatis diei horis, utplurimum tamen pomeridianis factum. Quare id tantum quod in genere ex iis colligere licet, hic exponam, ſimul methodum veluti exemplo quodam illuſtraturus, qua longiorem ejusmodi obſervationum ſeriem tractandam eſſe deſiderarem. Cum enim, quod ſciam, ex uberrima, qua jam fere abundamus obſervationum meteorologicarum ſegete, vel pauciſſimae vel plane nullae deductae ſint leges generales, ad quas ſeſe adcommodarent, atque motus v. gr. barometri adeo videantur irregulares, ut vix generale quidquam primo iteratoque intuitu inde ſperare liceat; hinc unicum ſupereſſe videtur medium, ut ex collatione plurium annorum barometri, thermometrique quaeramus motus veluti medios, Aſtronomos in re difficiliori non infauſto forſan auſu imitaturi, qui eandem viam dudum ingreſſi motuum caeleſtium leges polique jura feliciſſime perveſtigarunt.

§. 21. Hac inſiſtendo ſemita, generales quasdam variationum mutationumque aëris leges ſperare licet, atque his detectis felicius forſan deinde anomaliarum ſingulorum annorum quaeri poterunt rationes.

§. 22. Equidem non me fugit obſervationes quinque tantum annorum huic fini obtinendo vix ſufficere. Re tamen ipſa incepta expertus ſum, ſpem ſupereſſe non inanem, id quod ex obſervationibus meis ſum collecturus ex obſervationibus plurium annorum pluribusque in locis ſimul inſtitutis, certius atque univerſalius evictum iri. Sed de his infra uberius diſſerendi erit locus. Jam methodum qua uſus ſum oſtenſurus primo obſervationes barometricas perluſtrabo, ſubjungendo ſequentem

Tabulam altitudinum barometri ſingulis menſibus maximarum & minimarum.

Annis	1750 & 1751.		1751 & 1752.		1752 & 1753.		1753 & 1754.		1755 & 1756.	
Menſe	*alt. max.*	*bar. min.*	*alt. max.*	*bar. min.*	*alt. max.*	*bar. min.*	*alt. max.*	*bar. min.*	*alt. max.*	*bar. min.*
Aug.	17,3	12,0	15,5	12,0	15,0	9,5	15,0	9,0	16,0	9,9
Sept.	18,0	12,0	17,0	11,0	15,3	10,5	15,0	11,5	16,6	9,0
Oct.	18,5	9,5	17,0	9,5	18,5	12,0	15,0	9,2	17,8	9,6
Nov.	16,0	6,0	19,0	7,0	20,0	12,0	16,7	7,5	16,4	5,7
Dec.	18,5	9,0	17,5	11,0	17,0	5,5	15,0	7,5	16,5	7,6
Jan.	18,3	8,5	18,0	7,0	17,5	9,0	18,5	8,0	19,3	7,2
Febr.	19,0	8,5	16,0	8,0	16,0	9,0	17,0	6,0	20,2	7,5
Mart.	17,5	9,0	18,0	9,0	16,0	10,0	17,0	5,7	18,0	7,2
April.	14,5	8,5	16,0	10,0	15,5	3,5	16,0	9,0	17,3	9,3
Maj.	16,5	10,0	13,5	8,5	15,0	8,0	15,7	9,5	16,8	8,0
Jun.	18,0	12,0	14,0	11,0	13,5	7,0	16,5	11,0	16,8	12,1
Jul.	16,5	11,5	14,0	10,0	14,0	10,0	17,3	10,7	16,8	11,0

§. 23. Hinc ergo pro quovis menſe quinque habemus altitudines barometri maximas, totidemque minimas. Quodſi jam ſingulae quinae in ſummam colligantur, haecque per 5 dividatur, colligentur inde altitudines inter maximas minimasque totius quinquennii mediae. Quibus erutis facillime dabuntur variationes ſingulorum menſium mediae, atque altitudines mediae, quas omnes ſequens tabella complectitur.

Menſe	*Altitudines max.*	*med.*	*Barometri. min.*	*var.*	Menſe	*Altitudines max.*	*med.*	*Barometri. min.*	*var.*
Aug.	15,8	13,1	10,5	5,3	Febr.	17,6	12,7	7,8	9,8
Sept.	16,4	13,6	10,8	5,6	Mart.	17,3	12,6	8,0	9,3
Oct.	17,4	13,7	10,0	7,4	Apr.	15,7	11,7	7,7	8,0
Nov.	17,6	12,6	7,6	10,0	Maj.	15,5	12,1	8,8	6,7
Dec.	16,9	12,6	8,2	8,7	Jun.	15,8	13,3	10,6	5,2
Jan.	18,3	13,1	7,9	10,4	Jul.	15,7	13,2	10,6	5,1

§. 24. Ex

§. 24. Ex ſola inſpectione hujus tabellae patet, altitudines maximas, minimas atque variationes barometricas, ad quandam ſeſe adcommodare legem, atque

1°. Altitudines maximas in genere hieme eſſe majores quam aeſtate, ita ut, neglectis minutiis decimalibus, quibus a ſe differunt altitudines Maji, Junii atque Julii, neglectaque aberratione quam in menſe Decembri obſervamus dici poſſit, altitudines maximas menſe Januario ceteras omnes excedere, menſibus ſequentibus usque ad Julium minores evadere, atque a Julio ad Januarium usque denuo creſcere, adeoque ſenſibiliter rationem mutationum caloris atque frigoris ſequi.

2°. Altitudines minimas vice verſa aeſtate & autumno eſſe majores, hieme & vere minores, atque forſan, neglectis quibusdam minutiis, ex obſervationibus quinque tantum annorum non ita facile exacte determinabilibus, inverſam altitudinum maximarum rationem ſequi.

3°. Variationes barometri menſtruas medias manifeſto eadem teneri lege, cui altitudines maximas ſubjacere antea oſtendimus, adeoque neglecta aberratione in variatione Decembris obvia, mutationi caloris annuae mediae eſſe analogas.

4°. Easdem menſibus hiemalibus duplo eſſe majores quam menſibus aeſtivis.

§. 25. Altitudines inter maximas & minimas mediae in tabula exhibitae non tam apertae legem quandam ſequuntur, quod vel inde provenire ſuſpicor, quod altitudines maximae & minimae ob parvum numerum annorum, quibus obſervatae ſunt, exactiſſimae eſſe nequeant, atque etiamſi valde eſſent exactae, correctione adhuc indigerent, cujus rationem exponere non abs re eſſe arbitror, etſi jam paſſim apud Auctores occurrat.

§. 26. Notum enim eſt mercurium calore dilatari ad eoque ſpecifice levius fieri, frigore vero condenſari atque ſpecifice evadere gravius. Unde ſi mutatio caloris annua ponatur eſſe 30 circiter graduum thermometri Reaumuriani, barometri altitudo, aeſtate ceteris paribus atque ob ſolam caloris frigorisque mutationem ſesquilinea major erit quam hieme. Unde altitudines obſervatae correctione indigent, atque ita ſunt reducendae, ut eae evadant quae revera obſervarentur, ſi barometrum in loco conſtantis temperiei v. gr. cellae obſervatorii pariſini ſuſpenſum fuiſſet. Hinc vero conficitur, ut id quod jam obſervavimus (§. 24.) magis adhuc ad veritatem accedat. Conſtat enim aeſtate barometri altitudinem maximam plerumque in eos dies incidere, quibus calor eſt maximus, hieme vero in dies quibus intenſius ſaevit frigus, contra ea mercurio circa gradus infimos haerente aeſtate & hieme temperiem aëris plerumque eſſe mediam. Unde altitudines aeſtivae maximae barometri ſemilinea circiter erunt minuendae, hiemales vero augendae, quod antea dicta utique reddit evidentiora atque certiora.

§. 27. Ceterum, quod hic obiter notabimus, ex allata ratione adhuc ſequitur, ſtatum barometri a ſola caloris mutatione, uno die ab horis matutinis ad pomeridianas ſemilinea & ultra mutari poſſe, cum nempe calor 10 vel pluribus gradibus augetur, quod utique adnotandum, ſi exactius de mutatione ponderis aëris ferre judicium volumus. Hinc vero ſequeretur plurimis diebus mercurii in barometro altitudinem poſt meridiem aliquanto debere eſſe majorem. At ſi obſervationes conſultamus, contrarium fere ſemper praecipue diebus ſerenis obtinet, mercurio ſemilinea & amplius deſcendente. Unde patet barometrum magis adhuc fore deſcenſurum, ſi ſuſpenſum teneatur in loco conſtantis temperiei. Similis eſt haec mutatio ei, quam ſub ipſo aequatore in Peruviana regione obſervarunt *celeberrimi* Academici Pariſini, quae fere unica eſt, quae ſub aequatore obſervatur.

§. 28. Non

§. 28. Non modo vero variationes barometricae hiemales aeſtivis ſunt majores, verum & celeriores. Quod ex obſervationibus ſingulorum annorum colligere licuit. Maxime vero id patuit, cum motus barometricos per lineam curvam exhiberem, cujus abſciſſae tempus, adplicatae vero altitudines barometricas deſignabant. Ita vero vel uno obtuitu omnes cujusvis anni barometri mutationes conſpicere licuit. Atque evidentiſſime patuit, aëris mutationes a Novembre ad Martium uſque longe eſſe majores celeriores atque vehementiores, quam eſtate & autumno. Quod & venti teſtantur, quippe qui hiene longe ſunt fortiores, frequentiores atque diuturniores.

§. 29. Determinatis modo ante allato limitibus quibuslam mediis altitudinum maximarum atque minimarum, nec ion variationum barometri, ſupereſſet, ut anomaliarum ſingulorum annorum redderetur ratio, atque dies determinarenur, in quos altitudines iſtae vel inciderent, vel quos proxine antecederent aut ſequerentur. At plura obſtant, quominus voti compotes fieri licet.

§. 30. Etenim pluribus menſibus altitudo barometri naxima, vel ipſi proximae bis, ter vel pluries obſervantur, nde qui dies eligendi ſint ex obſervationibus in uno tantum oco inſtitutis minime colligi poteſt.

§. 31. Porro ex comparatione obſervationum baromeicarum in locis magis diſſitis habitarum evidens quidem eſt, najores barometri mutationes ſatis eſſe analogas, atque ut lurimum in easdem diei horas incidere, minores vero cuique oco eſſe proprias, atque non raro barometri motus in variis ocis eodem tempore reperiri ſibi oppoſitos. Hinc vero conquitur, motus iſtos a cauſis maxime ſpecialibus proficiſci, a uibus innumerae pendent a legibus, ſi quae dantur, univerlioribus, aberrationes. Hae vero ut eliminentur, non aliud cile dabitur remedium, praeter comparationem obſervationum pluribus totius Europae locis iisque valde diſſitis ſimul intutarum. Ex his enim tantum, ſi quae in mutationibus

barometricis datur lex univerſalis atque periodus, certius determinari poterit. Unde ergo vel ſua ſponte eluceſcit, cur adhuc ab ejus inveſtigatione abſtrahendus ſit animus?

§. 32. Ut tamen rei ſatis arduae qualecunque exhiberem ſpecimen, rem ita ſum adgreſſus. Ex celeritate, qua ſeſe denuo ad aequilibrium componit aër, ſi quo in loco gravior vel levior factus fuerit, colligere licet, non poſſe temere barometrum in maxima, quam attingere valet, altitudine haerere, quin ſimul longe lateque ad ſummos ſimul ſeſe attollat gradus. Unde conſequitur, barometro Curiae circa ſupremos gradus haerente, ſimul per ampliſſimum terrarum tractum aërem maxima gravitate gaudere. Ex iis ergo altitudinibus maximis, quas tab. §. 22. exhibet illas ſelegi quae, gradum 17 ſuperant, atque quaeſitis in ephemeridibus meteorologicis diebus, in quos inciderunt, inveni, dierum iſtorum intervalla, paucis exceptis quam proxime exprimi poſſe per multipla numeri 28. Rem omnem tab. ſequens ob oculos ponet.

Anni & Menſes.	*dies altit. bar.*	*intervall. dierum*	*multipla num. 28. cum diff.*	*Anni & Menſes.*	*dies altit. bar.*	*intervall. dierum*	*multipla num. 28. cum diff.*
1750.				1752.			
Sept.	8 18, 0	0		Dec.	2 17, 0	814	29. 28 + 2
Oct.	3 18, 5	25 =	1. 28 — 3	1753.			
Dec.	31 18, 5	113 =	4. 28 + 1	Jan.	25 17, 5	870	31. 28 + 3
1751.				1754.			
Jan.	28 16, 0	142 =	5. 28 + 2	Jan.	21 18, 5	1231	44. 28 — 1
Febr.	22 19, 0	167 =	6. 28 — 1	Febr.	20 17, 0	1261	45. 28 + 1
Mart.	23 17, 5	196 =	7. 28	Mart.	1 17, 3	1270	
Jun.	15 18, 0	280 =	10. 28	Jul.	21 17, 3	1412	
Sept.	10 17, 0	367 =	13. 28 + 3	1755.			
Oct.	31 17, 0			Oct.	7 17, 8	1855	
Nov.	1 16, 5	419 =	15. 28 — 1	1756.			
- -	17 19, 0	435		Jan.	28 19, 3	1968	
Dec.	3 17, 5	451 =	16. 28 + 3	Febr.	21 20, 2	1992	71. 28 + 4
1752.				Mart.	7 18, 0	2007	
Jan.	16 18, 0	495		Apr.	3 17, 3	2034	
Mart.	18 18, 0	557 =	20. 28 — 3				
Oct.	31 18, 5	784 =	28. 28				
Nov.	13 20, 0	797					

§. 33.

§. 33. Intervalla dierum in tabula exhibita ſunt a die obſervationis primae. Numerus intervallorum eſt 25, atque ex his 16 per 28 proxime ſunt diviſibilia. Deficiunt novem, quae in tres claſſes diſpertita aeque per 28 erunt proxime diviſibilia, quod patebit ex hac tabella.

Anni & Menſes.	*dies alt.bar.*	*intervall. dierum.*	*multipla num. 28.*
1751. Nov.	17 19,0	0	
1752. Nov.	13 20,0	362	= 13.28 --2
1754. Jul.	21 17,3	977	= 35.28 --3
1752. Jan.	16 18,0	0	
1756. Mart	7 18,0	1512	54.28
- - - April.	3 17,3	1539	55.28 --1
1754. Mart.	1 17,3	0	
1755. Oct.	7 17,8	585	21.28 --3
1756. Jan.	28 19,3	698	25.28 --2

§. 34. Utut ergo omnes altitudines ita ſint comparatae, ut dierum intervalla proxime multiplo numeri 28. aequari poſſint, nil tamen adhuc certi hinc concludere licet, rationes iam antea (§. 30, 31.) adtuli. Quare ſi detur occaſio plures obſervationes in pluribus locis ſimul habitas colligendi, atque inter ſe comparandi, exactius fortaſſe, ſi quid in mutationibus barometricis generale obtinet, cognoſcere licebit. Etenim ex obſervationibus in uno tantum loco factis dies, in quos incidunt ejus altitudines maximae, rite determinari nequeunt. Unde nec ſciri poteſt, an periodus iſta 28 dierum, non aliquot horis ſit augenda vel minuenda, ſiquidem univerſaliter locum habeat.

§. 35. Jam ſupra dixi, altitudines barometricas circa meridiem ceteris paribus, matutinis & veſpertinis eſſe minores. Quod ut penitius examinare poſſem, altitudines matutinas, pome-

pomeridianas, & veſpertinas cujusvis menſis in ſummam col. legi, atque per numerum dierum dividendo, obtinui proquovis menſe altitudines medias. Neglexi vero illos dies, quibus una aut altera obſervatio deerat in Ephemeridibus. Altitudines erutae ſequentes ſunt.

Menſes.	*altitudines barometri*			*Menſes.*	*altitudines barometri*		
	matut.	*pomerid.*	*veſpert.*		*matut.*	*pomerid.*	*veſpert.*
Aug.	13,61	13,38	13,45	Febr.	16,17	15,87	16,14
Sept.	13,51	13,39	13,86	Mart.	13,76	13,50	13,70
Oct.	13,91	13,86	14,12	April.	12,75	12,52	12,79
Nov.	11,49	11,22	11,33	May.	13,21	12,76	13,29
Dec.	13,23	13,34	13,48	Jun.	14,51	14,11	14,29
Jan.	14,67	14,69	14,85	Jul.	13,92	13,61	13,93

§. 36. Hinc jam patet, excepto Decembri atque Januario omnibus menſibus altitudinem barometri matutinam pomeridiana eſſe majorem & differentiam aeſtate majorem, hieme minorem eſſe. Quod idem proxime obtinet ratione altitudinum veſpertinarum cum pomeridianis comparatarum. Singulis enim menſibus illae his ſunt majores, differentiae vero aliquanto minus regulares, quod inde provenire videtur, quod tabula ex obſervationibus unius tantum anni deducta eſt.

§. 37. Quodſi, quas hic pro ſingulis menſibus exhibuimus altitudines medias, ita in ſummam contrahamus, ut eaedem pro ſpatio anni trimeſtri exhibeantur, erunt iſtae ſequentes.

Menſes.	*altitudines mediae barometri*		
	matut.	*pomerid.*	*veſpertin.*
Aug. Sept. & Oct.	13,68	13,54	13,81
Nov. Dec. & Jan.	13,13	13,08	13,22
Febr. Mart. & Apr.	14,23	13,96	14,21
May. Jun. & Jul.	13,89	13,49	13,84

Alti-

Altitudines vero totius anni mediae fuerunt

matutina	13, 73.
pomeridiana.	13, 52.
veſpertina	13, 79.

Matutina & veſpertina proxime ſunt aequales, & pomeridiana $\frac{1}{4}$ lin. circiter majores.

§. 38. Cum hoc modo eruiſſem altitudines barometricas pro ſingulis menſibus, quas abſolute medias adpellare licebit, volui iſtas cum aliis comparare, quae mediae ſunt inter maximas & minimas ſingulis menſibus ejuſdem anni obſervatas, atque in tab. §. 22. expoſitas. Sunt vero ſequentes

Aug.	13,0	Febr.	13,7
Sept.	12,8	Mart.	12,6
Oct.	13,7	April.	12,8
Nov.	11,0	Mai.	12,4
Dec.	12,0	Jun.	14,4
Jan.	13,2	Jul.	13,9

Quae altitudines cum pomeridianis tab. §. 35. comparatae hieme his deprehenduntur minores, aeſtate vel majores vel proxime aequales, quod indicio eſt, barometrum hieme diutius circa altitudines majores haerere, quam aeſtate.

§. 39, Supereſt ut maximam, quam toto quinquennio barometrum paſſum eſt, variationem expendamus. Obſervavi vero barometri

altitudinem minimam	= 3, 5	1753. April. 5.
maximam	= 20, 2	175 Febr. 21.
unde differentia . .	= 16, 7	
& altit. inter utramque media . .	= 11, 85.	

Determinabitur ergo ex altit. media 25″, 11‴ $\frac{17}{20}$, elevatio Curiae ſupra ſuperficiem maris circiter 1700, pedd. Pariſ.

§. 40. Variatio maxima ſolummodo eſt 16,7 adeoque vix duabus tertiis partibus aequalis ejus, quae Pariſiis vel ad maris ſuperficiem obſervatur. Unde variationes menſtruae mediae, quas ſupra in tab. §. 23. dedimus, dimidia fere parte erunt augendae, ſi eas ad obſervationes ad ſuperficiem maris in noſtro climate factas transferre velimus.

§. 41. In exponendis obſervationibus thermometricis breviores erimus, cum alibi de iis fuſius dicendi dabitur occaſio. Unde 1°. tantum gradus thermometri maximos & minimos pomeridianos, ſingulis quadriennii menſibus obſervatos, in tabula ſequenti exhibebimus.

Annis	1751 & 52		1752 & 53		1753 & 54		1755 & 56	
Menſe	*grad. max.*	*grad. min.*	*grad. max.*	*grad. min.*	*grad. max.*	*grad. min.*	*grad. max.*	*grad. min.*
Aug.	25	18	23	17	23	16	21,2	13,0
Sept.	23	16	27,5	19	25	17	20,3	13,8
Oct.	20,6	10	19,0	10,5	22	8	19,2	6,0
Nov.	14	5	16	6	14	6	12,2	5,0
Dec.	11,6	-0,5	10	-2,0	10	1	10,7	2,2
Jan.	13	1,3	8,3	-0,5	9,5	2	8,0	2,5
Febr.	14,5	4,5	20	5,5	10	1	14,1	0,3
Mart.	19,6	8,0	22	11	13	3	16,2	4,2
Apr.	19,0	8,5	20,3	8,6	16,5	10	19,5	5,5
Mai.	20,5	12,6	21,5	12,0	23,0	13,2	19,0	9,5
Jun.	26,0	22,5	25,5	18,5	23,7	17	22,7	13,7
Jul.	24,7	15,5	27,5	17,5	23,6	17,5	23,0	11,8

§. 42. Hinc iam eodem plane modo, quo ſupra §. 23. uſi ſumus, eruuntur gradus thermometri medii inter obſervatos maximos & minimos, quales ſiſtit tabella ſequens.

Menſe	*grad. max.*	*grad. min.*	*med.*	*variat.*	*Menſe*	*grad. max.*	*grad. min.*	*med.*	*variat.*
Aug.	23,0	16,0	19,5	7,0	Febr.	14,6	2,8	8,7	11,8
Sept.	23,9	16,5	20,2	7,5	Mart.	17,7	6,6	12,1	11,2
Oct.	20,2	8,6	14,4	11,6	April.	18,8	8,1	13,5	10,7
Nov.	14,0	5,6	9,8	8,5	Mai.	21,0	11,8	16,4	9,2
Dec.	11,3	1,7	6,0	10,5	Jun.	24,5	18,0	21,2	6,5
Jan.	9,3	1,2	5,6	8,4	Jul.	24,7	15,6	20,1	9,1

§. 43. Variationes ergo minores obtinent menſibus aestivis & autumnalibus, nempe Jun. Jul. Aug. & Septembri. Majores incidunt in Octobr. Februar. Mart. & Aprilem, quod vero ex obſervationibus 4 tantum annorum ſatis exacte determinari nequit.

§. 44. Ipſas tandem aëris tempeſtatumque mutationes, quas per quinquennium obſervavi, invicem comparaturus, totius quinquennii dies omnes in tres claſſes diviſi. Prima eos dies complectitur, quibus coelum vel plane vel maxima ex parte ſudum erat, quosque adeo in Ephemeridibus ſignis ☉ & ♀ deſignavi. Altera continet dies ☽ ♄ quibus vel pluit vel ninxit. Tertiam denique illi conſtituunt dies, quibus coelum vel maxime obſcurum nubibusque obtectum videbatur. Hos ſupra in Ephemeridibus per ♂ & ☿ deſignavi. Quo facto numerum dierum ad quamvis claſſem pertinentium pro ſingulis menſibus quaeſivi, ut inde rationem tempeſtatum quodammodo colligere poſſem. Dies ☉♀ & ☽♄ id eſt ſereniores & pluvios ſequens exhibet tabula, ex quibus dies ♂ ☿ facile computantur cum complementum conſtituant ad numerum dierum totius menſis.

Tabula numerum dierum ſereniorum & pluviorum cujusvis menſis quinque annorum, quibus obſervati ſunt, exhibens.

Annis	1750 & 51		1751 & 52		1752 & 53		1753 & 54		1755 & 56	
Menſe	☉☿	☽♄	☉☿	☽♄	☉☿	☽♄	☉☿	☽♄	☉☿	☽♄
Aug.	12	10	8	11	6	11	15	11	14	12
Sept.	17	9	12	7	21	5	21	4	16	11
Oct.	13	4	6	12	17	4	12	6	8	14
Nov.	12	11	15	5	13	8	16	8	6	11
Dec.	14	6	12	7	12	10	9	9	9	15
Jan.	4	8	11	8	17	5	11	5	15	12
Febr.	2	10	10	3	8	8	12	7	17	4
Mart.	5	13	19	6	23	5	10	4	11	12
Apr.	6	9	9	8	12	11	9	10	11	11
Mai.	6	9	11	13	18	7	8	7	10	13
Jun.	10	14	12	11	10	13	6	17	11	10
Jul.	10	17	5	19	12	11	14	12	10	16

§. 45. Ex his numeris medii eodem quo antea modo collecti in tab. ſequenti exhibentur.

Menſe	☉☿	♄☽	☿♂	*Menſe*	☉☿	♄☽	☿♂
Aug.	11	10	10	Febr.	10	6	12
Sept.	17	7	6	Mart.	14	8	9
Oct.	11	8	12	Apr.	9	10	11
Nov.	12	9	9	Mai.	11	12	8
Dec.	11	9	11	Jun.	10	13	7
Jan.	12	8	11	Jul.	10	15	6

Ex qua tabella in genere patet
1°. Menſes ſereniores eſſe Sept. & Mart.

2°. Dies

2°. Dies ☉☿ & ☿♃, exceptis Sept. Mart. & Apr. singulis mensibus fere esse numero aequales.

3°. Dies vero ☽♄ aestate esse frequentiores, quam hieme vel ceteris anni mensibus.

4° Saepissime pluere mensibus Maio, Junio & Julio.

§. 46. Quodsi vero dies ternorum mensium in summam colligantur, erunt

Dies	☉☿	☽♄	☿♃
Aug. Sept. Oct.	39	25	28
Nov. Dec. Jan.	35	26	31
Febr. Mart. Apr.	33	24	32
Mai. Jun. Jul.	31	40	21

Numerus ergo dierum ☿♃ quovis anni quadrante satis aequalis, dierum ☉☿ ab autumno ad aestatem usque decrescit, dierum vero ☽♄ aestate maximus, ceteris anni quadrantibus fere est aequalis.

§. 47. Toto vero anno numerum medium sumendo erunt dies ☉☿ - - - - - - 138.
dies ☽♄ - - - - - - 115.
dies ☿♃ - - - - - - 112.

Unde in genere numerus dierum ☉☿ Curiae numerum dierum ☽♄ & ☿♃ seorsim sumtorum superat quinta circiter parte.

ADDITAMENTUM.

§. 48. Postquam iam ad finem perduxissem quas hic exhibeo de observationibus meteorologicis animadversiones, incidi in *Commentarios Acad. Imp. Petropolitanae*, in quibus

obſervationes altitudinum barometricarum Petropoli a *Cel.* quondam *Profeſſoribus MAJERO & KRAFTIO*, Illuſtriſſimae iſtius Academiae Membris inſtitutae atque veluti in ſummam contractae ſeſe mihi obtulerunt. Notavit autem *Celeb. KRAFTIUS* altitudines barometricas, quae ſingulis menſibus 18 annorum a 1726 ad 1743 usque obſervatae ſunt, maximas & minimas, in digitis pedis Londinenſis, eorumque partibus decimalibus. Quod cum plane cum iis coincideret, quae ſupra §. 22. ſeqq. pro quinque tantum annis peregi, eo minus dubitavi, obſervationes iſtas eodem modo, examinare, quo magis ſperare liceret, ex tot annorum obſervationibus longe curatius definita iri, quae ex meis deduxi. Neque ſpem fefellit eventus, potius ſuperavit. Etenim vel primo intuitu apertiſſime patuit altitudines maximas atque variationes barometricas menſtruas hieme eſſe majores, quam aeſtate, jamque ipſe ſolertiſſimus Obſervator *KRAFTIUS* id jam in ipſis commentariis notaverit. Attamen cum altitudines obſervatas curatius inter ſe non contulerit, operae pretium eſſe exiſtimavi hanc provinciam in me ſuſcipere, atque quae inde conſecutus ſim hic exponere.

§. 49. Atque primo quidem ſingulorum menſium 18 iſtorum annorum altitudines maximas & minimas in ſummam collegi, hanc per numerum annorum diviſi, hocque modo ut ſupra §. 22. 23. obtinui altitudines barometri maximas & minimas, quae inter omnes obſervatas mediae ſunt. His inventis atque ab invicem ſubtractis, habui variationes menſtruas medias, quarum dimidia parte a maximis ſubtracta obtinui inter maximas & minimas medias. Singulas vero, una cum variationibus ſequens offert tabella.

Altitu-

Altitudines barometricae menſtruae 18 annorum mediae ex maximis ex mediis ex minimis variationes

an.	30,18	29,49	28,79	1,39
ebr.	30,15	29,48	28,82	1,33
Mart.	30,09	29,46	28,83	1,26
pr.	30,09	29,55	29,02	1,07
Mai.	29,98	29,55	29,11	0,88
un.	29,93	29,54	29,16	0,77
ul.	29,82	29,48	29,15	0,67
ug.	29,92	29,52	29,12	0,80
ept.	30,08	29,53	28,98	1,10
Oct.	30,19	29,53	28,88	1,31
Nov.	30,19	29,48	28,77	1,42
Dec.	30,26	29,52	28,78	1,48

§. 50. Adeo jam hae altitudines ad legem quandam univerſalem accedunt, ut vix in partibus digiti centeſimalibus detegatur aberratio, quam maximam eſſe in menſe Decembri & primo patet intuitu, & facile inde eius petitur ratio, quod Petropoli altitudo barometri omnium maxima ſpatio 18 horum annorum bis in Decembrem inciderit. Unde altitudinem Decembris maximam 0,06 partibus eſſe minuendam cenſeo, ut altitudini maximae Novembris & Januarii magis evadat aequalis. Similiter altitudo maxima Aprilis duabus aut tribus partibus centeſimalibus videtur minuenda.

§. 51. Sed jam explicemus poſitiones, quas vel ſua ponte tabula praecedens offert. Sunt vero ſequentes.

1°. Altitudines maximae non modo hieme ſunt majores, aeſtate minores, verum & ita ſunt comparatae, ut earum incrementum & decrementum maximum incidat in menſes vernales & autumnales.

2°. Pro-

2°. Proxime adeo aut plane ſunt variationibus thermometricis ex pluribus annis mediis analogae.

3°. Altitudines minimae easdem prorſus ſequuntur leges, hoc tantum diſcrimine, ut majores obtineant aeſtate, minores vero hieme.

4°. Altitudines mediae omnibus menſibus proxime ſunt aequales, cumque differentia maxima decimam digiti partem non ſuperet, ipſaeque altitudines nullam ſequantur legem, vero ſimile eſt, eas omnibus menſibus ſtatuendas eſſe plane aequales, adeoque conſtantes = 29, 50.

5°. Quovis ergo menſe altitudines maximae eadem quantitate altitudinem mediam 29, 50 ſuperant, qua minimae infra eam ſunt depreſſae.

6°. Variationes menſtruae eandem ergo legem ſequuntur quam altitudines maximae & minimae ſequi vidimus; neque dubitarim eas variationibus thermometricis menſtruis mediis ponere proportionales.

7°. Hieme vero ſunt duplo circiter majores quam aeſtate, & ſimile quid circa variationes thermometricas obſervaſſe mihi videor.

§. 52. Cum altitudines in tabula praecedenti exhibitae mediae ſint ex iis, quae ſpatio 18 annorum obſervatae ſunt, eaeque adeo mediis tot annorum variationibus caloris ceterarumque cauſſarum debeantur, conſequens eſt illas ſingulis annis fore obtenturas, ſi hae admodum eſſent regulares neque tot paterentur a legibus univerſalioribus aberrationes. Ut ergo etiam has paullulum expenderem ex altitudinibus barometricis, quae ſingulis menſibus octodecim iſtorum annorum obſervatae ſunt, jam omnium maximas & minimas excerpſi, quas una cum earum differentia in tabula ſequenti exponam.

Menſe	altit. barom. max.	altit. barom. min.	variat.
Jan.	30,68	28,37	2,31
Febr.	30,67	28,26	2,41
Mart.	30,62	28,22	2,40
April.	30,52	28,76	1,76
Maj.	30,28	28,88	1,40
Jun.	30,05	28,93	1,12
Jul.	30,08	28,89	1,19
Aug.	30,25	28,64	1,61
Sept.	30,50	28,34	2,16
Oct.	30,78	28,18	2,60
Nov.	30,74	28,44	2,30
Dec.	30,95	28,23	2,72

§. 53. In genere & hinc quoque evidens eſt, altitudines aeſtivas maximas eſſe hiemalibus minores, minimas vero majores; Variationes autem, quae hic ex obſervatis maximae ſunt, mediis, quas ſiſtit tab. §. 49, fere duplo eſſe majores. Ceterum cum numeri tab. praeſentis non admodum ſint regulares, exinde patet altitudines menſtruas vere maximas & minimas 18 his annis Petropoli vel pauciſſimis menſibus vel nullis obſervatas eſſe. Obſervatas autem ab iis non ita multum diſtare.

§. 54. Cum ergo altitudines menſtruae maximae & minimae mediis, quas tabula §. 49, ſiſtit mox obſerventur majores, mox autem minores, extremas vero jam tab. §. 52. exhibeat, quaeſivi quoque altitudinum menſtruarum maximarum minimas, minimarum vero maximas, atque deprehendi toto hoc 18 annorum ſpatio illas nunquam fuiſſe altitudine media 29, 50 minores, has vero nunquam majores: uti videre eſt in tab. ſequenti.

Altitudinum	*bar. menſtruarum.* *maximar. minimae,*	18 *annorum.* *minimarum maximae.*
Jan.	29, 84	29, 43
Febr.	29, 74	29, 30
Mart.	29, 56	29, 32
April.	29, 74	29, 40
Maj.	29, 67	29, 44
Jun.	29, 58	29. 48
Jul.	29, 53	29, 50
Aug.	29, 75	29, 49
Sept.	29, 76	29, 40
Oct.	29, 80	29, 45
Nov.	29, 82	29, 30
Dec.	29, 89	29, 23

§. 55. Ex hac tabella denuo patet, altitudines maximarum minimas & minimarum maximas aeſtate ab altitudine media 29, 50 minus diſcrepare quam hieme: priorum vero ab iſta differentiam eſſe duplo circiter majorem. Unde jam varia deducere licet, quae diſtinctius exponamus.

§. 56. Primo igitur aut nunquam aut ſaltem rariſſime accidet, ut barometrum per menſem integrum infra altitudinem mediam haereat depreſſum, aut ſupra eam ſuſtineatur elevatum. Hoc enim celeritas maxima, qua ſeſe iterum ad aequilibrium componit, aër vix ac nec vix admittit, & inſuper oporteret, ut aër per ingentiſſimum terrarum tractum, immo dixerim in toto haemisphaerio boreali extra aequilibrium poſitum remaneret, atque continuo veluti novis viribus in iſto ſtatu ſuſtentaretur. Unde jam facile ratio redditur effati in §. 54 altitudinem nempe barometri maximam 18 his annis nunquam per menſem integrum ſub 29, 50 fuiſſe depreſſam, neque minimam ſupra 29, 50 elevatam.

§. 57. Porro eo difficilius ſimilis aëris ſtatus iis menſibus obtinebit, quibus & majores & celeriores ſunt barometri variationes,

tiones, quos vero hiemales esse supra indicavimus §. 28. Unde denuo patet ratio effati §. 55. altitudines videlicet in tabula §. 54. expositas hieme ab altitudine media 29, 50 magis recedere, quam aestate.

§. 58. Ex tabula §. 52 videre est, Petropoli 18 annis observatam fuisse barometri

altitudinem maximam	= 30, 95
minimam	= 28, 18
adeoque variat. max.	= 2, 77
unde alt. med. .	= 29, 56

quae aliquanto major est altitudine media supra determinata, atque = 29, 50. quod indicio esse videtur, altitudinem vere minimam observata aliquot adhuc partibus digiti centesimalibus esse minorem.

§. 59. Cum itaque ex omnibus supradictis abunde elucescat variationes barometri aestate esse minores, hieme majores, licebit jam earum ponere limites, pro singulis anni mensibus, quos barometrum aut nunquam, aut saltem rarissime, neque notabiliter, excedet.

§. 60. Sit altitudo barometri media = a, maxima = $a + b$ minima = $a - b$, ut adeo $2b$ exhibeat variationem maximam, altitudines, inter quas mercurius in barometro singulis mensibus haerebit, quibusque nunquam aut saltem rarissime erit altior aut depressior, erunt sequentes.

Menſe.	*Altitudo barometri menſtrua maxima.*	*minima.*
Jan.	$a + 1,00. b$	$a - 1,00. b$
Febr.	$a + 0,95. b$	$a - 0,95. b$
Mart.	$a + 0,85. b$	$a - 0,85. b$
April.	$a + 0,73. b$	$a - 0,73. b$
Majo.	$a + 0,61. b$	$a - 0,61. b$
Jun.	$a + 0,52. b$	$a - 0,52. b$
Jul.	$a + 0,48. b$	$a - 0,48. b$
Aug.	$a + 0,56. b$	$a - 0,56. b$
Sept.	$a + 0,74. b$	$a - 0,74. b$
Oct.	$a + 0,89. b$	$a - 0,89. b$
Nov.	$a + 0,96. b$	$a - 0,96. b$
Dec.	$a + 0,99. b$	$a - 0,99. b$

Quodſi igitur in ſcala barometri ſpatium variationis maximae dividatur in 200 partes, a puncto altitudinis mediae ſurſum deorſumque numerandae, numeri hujus tabellae exhibebunt loca, quibus nomina menſium poterunt adſcribi, ut termini variationum menſtruarum maximarum in ipſa barometri ſcala deſignati habeantur.

§. 61. Etſi numeri hujus tabellae a poſteriori tantum ſint eruti atque definiti, non dubito tamen, quin a veris perparum differant, ac eorum vicem ſuſtinere poſſit, donec mutationum barometricarum eo uſque fuerit promota, ut abſolute determinari poſſint. Ceterum tabellam iſtam, quippe climatibus Europae adcommodatam ulterius extendere nolim, cum ſatis conſtet in haemisphaerio telluris auſtrali in menſes anni medios quadrare, quae in boreali primis & ultimis obtinent.

§. 62. Fundamentum, quo nititur tabella, paucis explicabitur, ſi notemus, numeros, quos continet, eſſe variationibus mediis tabellae §. 49. inſcriptis, ſed paullulum correctis vel mutatis, proportionales. Correctionem vero ita peregi

egi. Variationes tab. §. 49. inſertae exhibui in diagrammate per adplicatas lineae curvae, quarum abſciſſae repraeſentabant menſes, quibus adſcriptae ſunt; quo facto vidi, curvam iſtam ſatis quidem eſſe ſimplicem & regularem, habere tamen in quibusdam locis flexus quosdam curvaturae, ceterarum partium aliquantulum minus analogos, & praeſertim adplicata, menſibus Januario, Februario & Julio reſpondentes, manifeſto eſſe debito pauxillum minores, quibus adeo ita correctis, ut tota curva ſibimet ipſi conſtaret, adplicatam menſis Januarii dividi in 100 partes, quibus poſtea adplicatas ceterorum menſium expreſſi; atque in tab. praecedenti §. 60. exhibui. Ratio vero, cur altitudinem mediam a, pro ſingulis menſium poſuerim conſtantem, ex comparatione utriuſque tabellae §. 49 & 52 ſatis eſt evidens.

§. 63. Quodſi numeri tabellae praecedentis §. 60. inter ſe comparentur, deprehenduntur autumno celerius creſcere quam vere decreſcunt. Quod experientiae utique eſt conſentaneum. Conſtat enim variationes barometricas non parum pendere a variabili quantitate vaporum, aliarumque particularum heterogeniarum, aëri innatantium. Sed experimentis variis modis inſtitutis inveni aquam incaleſcentem longe minus evaporare refrigeſcente. Unde & autumno, cum calor telluris & quarum ſenſim decreſcat major eſſe debet vaporum particularumque iſtarum in aërem aſcendentium quantitas, ac vere, quo nempe tempore calor iterum reſtituitur. Porrò non minus notum eſt, ventos fortiores menſibus potiſſimum autumnalibus & brumalibus ſaevire. Quod certe eſſe nequiret, niſi nul maximas celerrimasque ponderis ſui aër pateretur mutationes. Ut adeo ex duplici hac ratione variationes barometricae non modo hieme debeant eſſe majores, verum & autumno celeriora capere incrementa.